



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 23. De Applicatione quinque internoru[m] animæ seu suum ad
sanguinem in horto effusum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXIII.

*APPLICATIONEM CONTI-
nens internorum anima sensuum
ad sanguinem Christi Domini
in horto effusum.*

2. P. Medit.
26.



PRAEMISSIS, qua de hac o-
randi ratione, per sensuum appli-
cationem sunt dicta, erit haec me-
ditatio vsui, ad reliquas Passionis
Domini partes, in quibus Christus fudit pretio-
sissimum sanguinem; sicut etiam ad eum, quem
in sua circumcisione fudit.

PUNCTVM I.

PPRIMUM, internis animæ OCVLIS aspi-
ciam sanguinem, quem effundit IESVS,
Dominus noster, perpendens, quis est,
qui effundit, cur, quo modo, qualique affectu
eum effuadat. Quomodo videlicet ipse Deus
infinito amore, gravissimo dolore, & con-
temptu indignissimo, sanguinem suum pro
meis peccatis effundat! qui viuis virtutum e-
ius, patientiæ, humilitatis, & charitatis colo-
ribus illustratus effluebat: Ex quo aspectu, e-
liciam affectus admirationis, amoris, & gra-
titudinis, & imitationis, in hunc modum. Sic
ne possibile est, quod Deus tantæ Maiest. pre-
tiosum

violum aded sanguinem, pro vili aded creatura, atque ego sum, effundat! & tot propriis impensis meum quærat remedium! ex proprio suo sanguine antidotum peccatori mihi conficiat! Benedicatur bonitas, quæ nec termino clauditur, nec habet mensuram! Quas tibi laudes reddam pro tanta beneficentia! qui possim satis, & vt teneor, gratum me ostendere! Quomodo ex toto corde te diligam! Quomodo excelsas aded imitabor virtutes! Statuo ramen, Deus meus, assistente mihi gratia tua, eas pro viribus imitari, quamuis sanguinem meum, vt te sequar, effundere me oporteat.

PUNCTVM II.

AVRIBVS deinde animæ internis audiam voces & clamores siue strepitum effluentis sanguinis, & exercitij tot altissimarum virtutum. **PRIMUM** ergo sanguinis huius clamores vocesque perpendam, quibus apud æternum *clamat* Patrem, non ultionem, vt *Abelis* ille, sed misericordiam erga homines, ac remissionem petens, qui & exauditus, impetrat quod petit: quia non potest Pater æternus talem clamorem non exaudire. Ex quo magnos fiducia affectus eliciam, cum sanguinis huius intuitu mearum culparum veniam petiuero.

I.
Heb. 12. 24.

DEINDE voces quoque illas audiam, quibus me Christus, per suum hunc sanguinem allo-

II.

quitur, dicens: cum ego pretiosum meum sanguinem in tuum effundam commodum; da mihi tu vilissimum tuum, in meum obsequium resistendo videlicet peccato usque ad sanguinem, si opus erit. effusionem; ne illi consentias.

III.

TERTIO etiam illa verba audiam, quæ Patri suo æterno Christus dixerit, dum sanguinem suum eidem pro nobis offerret. O quam libenter ea Pater audiuerit, & oblationem acceptans, promiserit illi quidquid propter eam peteret.

IV.

DENIQUE ipsius etiam Salvatoris gemitus audiam, & fluentis sanguinis strepitum: cõpatiaturque illi ob tot dolores, ita illos in me transferens ac sentiens, atque si verè mei essent: deffensaque ob meas culpas, quæ illorum causæ fuerunt.

PUNCTVM III.

INTERNO præterea ODORATV percipiã sanguinis huius odorem fragrantiamque suauissimam, quæ ad æternum Patrem ascendens, eius iram, & iustam indignationem aduersus homines, multò efficacius placat, quàm

^a Gen. 8. 20.

a sacrificium animalium cruentum quod obtulit Noe. O quam suauiter illi redolet, quod tanto amoris igne videat effundi! & in sacrificium sibi, & oblationem pro nostris culpis, of-

^b Ephes. 5. 2.

ferri à filio suo, b qui (vt Apost. ait) tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiã Deo, in odorem suauitatis! Perpendam quoque, quam suauem Deo odorem id præbeat, cum eundem sanguinem, in Sacro Missæ sacrificio, eidem offerimus: magnos ex hoc amoris & fiducia effe-

ctus

Quis hauriens virtutum etiam fragrantiam percipiam, quæ eam sanguinis Christi effusionem comitantur, qua fragrantia, cor meum confortans me ad earum virtutum imitationem excitabo, *c post eum currens in odorem* c Cant. 1.3.
talium unguentorum, ut aliquam eius virtutum obtineam: bene perpendens, quod humilitas, patientia & obedientia meo sanguine tinctæ, & Christi sanguine commixtæ, fragrantissimum afflent odorem, æternoque Patri iucundissimum, ob similitudinem, quam gerit, sanguinis filij sui: quam obrem me ad eas imitandas & procurandas urgebo.

PUNCTUM V.

GVSTV etiam animæ interno, suavitas & dulcedo huius sanguinis est delibanda, & virtutum, quæ in eius effusione resplendent: attendendo, quanta iucunditate afficeretur pars superior spiritus huius Domini, cum eum effundebat, ut æterno Patri obediret, & remedium nobis adferret. Percipienda quoque est eiusdem sanguinis ineffabilis suavitas, cum in sacratissimo Altaris Sacramento sumitur: eadem nunc animam meam oblectans & innoxians, eius semper esse participem degustanda est etiam immensa hæc dulcedo, qua etiam res amarissimas huius vitæ, dulcissimas facit, si in eum intingantur: statuens semper illum pro condimento adhibere obedientiæ, & humiliationis, contemptus & aliarum calamitatum, quæ in vitæ meæ decursu se offerrent Sed & alias amaritudines doloresq;

a Phil. 2. 5.

quos in carne sua hic Dominus sustinet, degustans, in meis intimis sentiam, iuxta illud Apost. a *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo* 1^a s. v. O dulcissime IESU, si mihi daretur sentire, quod tu sentiebas: gustareque quod gustabas, cum pretiosum tuum funderes sanguinem. Fac, Domine, ut illud sentiam, etiam si amarissimam: nam hoc ipso quod tu praelibasti, mihi accident iucunda.

PUNCTVM V.

a Apoc. 1. 5.

7. 14.

TACTV denique interno animæ, contingam ipsum sanguinem, exosculabor, me ipsum in eum immergam & balneabo, ut a *lauer, de alber, & purificer sanguine agni* huius immaculati. O si mihi contingeret esse terram, quæ pretiosum hunc sanguinem excepit! O si cor meum Reliquarium esset, in quo tanquam in deposito recondetur! O IESU sanguis, effuse infinito amore, dolore & contemptu, accende me desiderio dolores contemptusq; patiendi, pro eo, qui te effudit! O sanguinem, qui in sacratissimo Altaris Sacramento, in pectus meum illaberis! ego te contingo, te palpo, gusto, & amplector, cuiusq; me ipsum incorporo & coniungo: cupioq; in tuis semper esse complexibus, eique coniunctus, qui te mihi donauit,
Amen.